



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 24. De rebus in Tucumania gestis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

CAPUT  
XXIV.  
De rebus in  
Tucumania  
gestis.

1633.

Didaci Ri-

beiri mors.

Andreas

Jordanus

moritur.

Saltense Col-  
legium elu-  
zione de-  
firatur.

CAPUT  
XXV.

Joannis Da-  
rii ortus, e-  
ducatio, &  
officia.

Patria.

Studia littera-  
rum.

Doctoratus.

Vocatio ad  
Religionem.

Misso ad In-  
dos.

CAPUT  
XXVI.  
De quibus-  
dam Joani-  
nis Darii  
virtutibus.

**C**ORDUBAE Tucumanorum fatis concessit Didacus Ribeiro Lusitanus Sacerdos, ante undecim annos in Societatem cooptatus, religiosa vita, animi demissione, morum candore, & aliis virtutibus praे ceteris (nam quis singulos laudet) memorandus. Boni-aëris Collegium luxit Andream Jordanum, in regno Neapolitano Zitivola natum: hunc portum tres & viginti annos continuato labore religiosè adjuvit. Moriens dæmone instigante animi diffidentis, & pñè de Dei bonitate desperantis, motus adeò turbulentos sensit, ut pñè de æternæ ejus salute conclamatum videretur. Quos motus excepit lux cœlestis menti ejus adeò suauiter & patenter immissa, vix ut dubitatetur post tenebras visurum lucem æternam. Saltenle Collegium templumque fluminis exundatio penitus dituit: Socii in lectulis ad quietem se compofuerant, quando cluvionem sensere, quorum prima cura fuit Venerabile Sacramentum in tutum recipendi: quo peracto, supra culmen templi corpora tutatutu concendere, unde ruinæ metu in subjectas arbores se demittentes, ægræ mortem evasere: vix enim transfluerant, cum templum exundatione disturbatum, & paulò post domus, salvâ supellecstile, eversa est. Socii liberalitate & benevolentia magistratus translati in aliam domum, ejus partem in formam ædis sacrae adaptavere. Excursiones per Tucumaniam fructu & labore alias gelato factas, non est cur sigillatim singulis annis cum tedio referam.

**I**N Esterensi Tucumania urbe principe valde flebilis fuit mors Joatinis Darii, inter prima hujus Provinciae decora numetandi, & jure merito Societatis heroiis ab Nicembergio additi. Natus is Altravilla Neapolitani regni, in primaria planè domo. Parentum cura pueritiam adolescentiamque pietate & studio litterarum, partim Neapoli, partim Salerni excoluit; ubi supremum in utroque jure Doctoris gradum inceptus, juri dicendo se addixit; sed quod clientem suum è liquidissimo jure dolosus judex derubasset, aversatus periculoſe artis technicas Sodalitio Virginis MARIAE, sub Petro Antonio Spinello Neapoli, tum Societati JESU Romæ, anno ætatis vigeſimo-quinto se mancipavit. Exacto Religionis tyrocino, subministrum in domo professa, tum successivè in seminatis Græcorum, Germanorum, & Nobilium, ministrum egit. Inde clarescere viri virtus, expetique pro altioribus ministeriis cepit. Sed Darius sensit se ab Summo Numine pro ambienda India sollicitari: nam cum JESUM suum in Eucharistia adoraret, rogans ut se dirigeret per vias rectas, indicaretque, num verè ad Indos vocaretur, audit loquentem intus JESUM in hunc planè sensum: *O, Dari, si in Indias navigas, multe te manent crucis.* Quà voce auditâ, sensit se Crucis desiderio totum inflammari. Quare nihil de oraculo dubitans, ad Claudium Aquavivam Generalem pergit, à quo subsidiariis Sociis in Peruviam navigaturis (nam Procurator Peruanus in itinere obierat) præficitur. Abeunti Clemens Octavus benè appreccatus, nominatim Indorum animas ei commendavit: quæ vox Summi Pontificis totâ vitâ ipsi valuit ad renovandum in Indicis laboribus fervorem; aiens, non torpere debere in eo munere, quod Supremum Numen, per suum in terris Vicarium, commendaverat. In Indica navigatione à Confessionibus fuit Cusquensi Episcopo, assertere solito, nullum se hominem aliquando reperisse cordi suo magis conformem. Julide in Peruvia per annum commoratus Aymatram linguam didicit, exercuitque, donec ab Joanne Sebastiano Provinciali, cui carus fuit, in Tucumaniam sub finem præteriti seculi mitteretur. Cordubensem domum, Provinciae deinde caput, primus rexit. Calchaquinam vallem, posita sede, primus occupavit. Sancti Michaëlis, Esteccensis & Riocensis Collegiorum fundamenta jecit. Reliquam vitam aliis sedibus regendis, Apostolicis excursionibus, & ceteris nostræ Religionis exercitationibus utilissimè posuit. Exempla virtutum, quibus omnes vitæ periodos aspersit, pauca ex multis divisim tradam.

**P**ER quadraginta annos nullâ nocte supra tres horas dormivit, residuum temporis orationi tribuebat. Ad arcendum somnum pro cœnulâ carnem nunquam gustavit. Abserotino domesticorum colloquio perpetuò abstinuit, quod diutius cum Superis convertaretur. Christi pro nobis passi doloribus, Virginis

MARIAE